

Ille Ven. autem Vitricus meus, cum scurrilicates istius constanter adhuc contemneret, atq; à sua etiam maxime alienum putaret modestia, ea hic in medium attulisse, quæ vel calumniis hisce refutandis apprimè utilia, multi magni nominis Viri, in singularem ipsius laudem & decus scripsere; illa mihi demandata est respondendi provincia: quam quidem præ cæteris qui libenter eandem suscepissent, eas potissimum ob causas, Præfatio quas exhibet, imponi mihi passus sum.

§. 14. Omnes autem calumniæ, Indicis causâ venerabili Viro impositæ quæ sunt, trium sunt generum: Unum vitam ipsius, officium, atque illam etiam fortunam petit, ipsi quæ fuerat, antequam ulla cum Pufendorffio de doctrina intercesserat controversia. Alterum circumstantias; non ipsa Indicis proscindit viscera. Tertium denique Concionem quandam illius in Scandia, cum serenissimus Rex Daniæ rerum ibidem potiretur, pro suggestu habitam, nefariè traducit. Primum juxta ac ultimum, omnes qui nulla Jurium scientiâ instructi, fando saltem quid in accusationibus attendi unicè debeat accipere; puras putas esse calumnias tenent, & injurias: tam vera quam libet forent, ac falsa nunc fictaq; sunt omnia. Itaque in calumniarum hac strue Pufendorff præter summam suam malitiam, insignem etiam juris prodidit ignorantiam: scilicet quod nesciat *veritatem convitii, injuriantem non excusare*, quod And. Gail. l. II. obs. 99. rectè docuit; sed *injuriarum teneri*. Quare injurians licet convitium probare velit, attamen non auditur: siquidem in actione injuriarum, non tam veritas convitii, quam libido & voluntas injuriandi consideratur l. justissimos, c. de offic. Rector. provinc. Et text. in l. illud ff. de injur: Quoties convitium
dici-